

Anonymus Berolinensis [C17]

in *Praedicamenta* Aristotelis, cap. de ad aliquid¹

ex codice

Ms Berlin Deutsche Staatsbibliothek lat. fol. 624, ff. 85v–86ra

edidit Heine Hansen

Post praedicamentum quantitatis tractat Aristoteles de relativis, quia praedicamentum ad aliquid est simile quantitati, quia sicut quantitas non suscipit magis et minus et eis nihil est contrarium, et sic relativa non suscipiunt magis et minus et eis nihil est contrarium²; et quia facilius transitus est de similibus ad similia, ideo prius egit de <ad> aliquid quam de qualitate.³ Vel quia in praedicamento quantitatis fecerat

-
1. De hoc commentario, medio saeculi XII vel paulo ante composito, vide John Marenbon, “The Tradition of Studying the *Categories* in the early Middle Ages (until c. 1200): a revised working catalogue of glosses, commentaries and treatises,” in Sten Ebbesen, John Marenbon & Paul Thom (eds.), *Aristotle’s Categories in the Byzantine, Arabic and Latin Traditions* (Copenhagen: The Royal Danish Academy of Sciences and Letters, 2013), 162–63.
 2. sic...contrarium] *addidit ms in margine*
 3. Cf. Anonymus Berolinensis, in *Cat.* (ms Berlin Deutsche Staatsbibliothek lat. fol. 624, f. 83vb): Post praedicamentum substantiae tractat Aristoteles de quantitate prius quam de qualitate, quia, ut dicit m<agister> A<lbericus>, quantitas est similior substantiae quam qualitas, quia sicut substantia non praedicatur cum magis et minus et substantiae nihil est contrarium, sic quantitas non praedicatur cum magis et minus et quantitati nihil est contrarium; et quia facilius transitio fit de similibus ad similia, ideo prius de quantitate tractavit. Cf. etiam Petrus Abaelardus, *Logica ingredientibus* (ed. Geyer, 200): Tum etiam ante qualitatem ad aliquid tractat quia magis similis est relatio quantitati quam qualitas; quantitas quippe neque contrarietatem suscipit neque comparisonem, qualitas vero frequenter utrumque habet, relatio, cum rarissime comparatur {compararetur *ed.*}, sicut magnum est parvum, omnino contrarietate caret.

mentionem de magno et parvo, de quibus erat dubitatio utrum essent quantitates, ideo prius de ad aliquid egit.⁴

De ad aliquid tractat hoc modo: ponit definitionem Platonis et demonstrat inconvenientia quae sequuntur ex illa definitione; ponit postea aliam definitionem. Demonstrat etiam proprietates ad aliquid, sed non ponit proprium ad aliquid.⁵ Possumus tamen dicere quod hoc sit proprium ad aliquid: simul esse natura intelligendi.

Sicut in praedicamento quantitatis continentur quantitates et sumpta a quantitatibus, sic et in praedicamento ad aliquid continentur relationes et sumpta.

Relativum dicitur duobus modis: dicitur relativum quod est sumptum a relatione, et dicitur relativum vel quod sit sumptum a relatione vel relatio vel quod inest secundum relationem vel quod subicitur gratia relationis.

Ad aliquid sunt quibus est hoc ipsum esse ad aliud quodam modo se habere,⁶ vel quod inest vel quod subicitur gratia illius. Inest vero universale ad aliquid et singulare ad aliquid.

Ad aliquid aliud universale, aliud singulare. Singulare aliud unum numero, aliud non unum numero. Aliud <superpositio, aliud> suppositio, aliud neutralitas. Superpositio alia magistratus, alia dominium, alia paternitas. Suppositio alia discipulatio, alia servitus, alia filiatio. Universale ad aliquid aliud relatio, aliud sumptum a relatione; vel aliud praedicatum in quid, aliud in quomodo se habet.

4. Cf. Boethius, *in Cat.* (ed. Migne, f. 217a): Illud quoque est in causa quod superius cum de quantitate tractaret, relativorum mentio facta est cum de magno parvoque diceretur; ut ergo continens et non esset operis interrupta distinctio, ideo quantitate finita de relatione proposuit. Cf. etiam Petrus Abaelardus, *Logica ingredientibus* (ed. Geyer, 200): Post quantitatem statim ad aliquid tractat multis de causis ..., tum quia in quantitate relationis naturam frequenter induxit cum de magno et parvo disputaret.

5. Cf. Petrus Abaelardus, *Logica ingredientibus* (ed. Geyer, 201): Modus autem tractandi hic est quod prius tractat relativa secundum eam definitionem quae a Platone data esse creditur, ostensisque inconvenientibus quae ex ea sequuntur si quis eam concedat sufficientem esse, corrigit eam ponendo suam ac demum proprietatem supponit quae omnibus et solis veris relativis convenire videtur.

6. Aristoteles, *Categoriae* 7.8a31–32 (editio composita; ed. Minio-Paluello, 62): [S]unt ad aliquid quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodam modo se habere.

6a36. Praemittit Aristoteles definitionem | f. 85vb | Platonis, quae convenit relativis et quibusdam substantiis et qualitatibus et quibusdam positionibus⁷: *Ad aliquid talia dicuntur quaecumque*.⁸

Non videtur esse conveniens grammatica, quia hoc nomen “quaecumque” non est relativum ad “taliam,” sed hoc nomen “qualia.” Ad quod est dicendum quod hoc nomen “quaecumque” non ponitur hic in propria significatione, sed in impropria significatione huius nominis “qualia.” Vel dicamus quod dicatur hic per defectum et sit sensus: Ad aliquid talia dicuntur qualia sunt quae ego dicam.

Quaecumque hoc ipsum etc. Quiddam dicitur quod-est; quiddam dicitur hoc-quod-est; quiddam etiam dicitur hoc-ipsum-quod-est. Illud dicitur quod-est quod suscipit praedicationem illius quod vere praedicatur de eo, ut homo est animal. Illud dicitur hoc-quod-est quod suscipit praedicationem sui ipsius, ut homo est anthropos. Illud dicitur hoc-ipsum-quod-est quod suscipit praedicationem sui ipsius per eundem terminum, ut Socrates est Socrates.

Quaeritur quare Aristoteles dixit “ad aliquid dicuntur” et non dixit “ad aliquid sunt.” Ideo quia relativa non habent existentiam ex hoc quod sunt, sed ex hoc quod dicuntur, id est referuntur.

Item, quaeritur quare Aristoteles dixit “dicuntur” pluraliter. Ideo quia relativum ad hoc ut habeat existere oportet plures res esse, quia si una res esset tantum, nihil esset relativum.⁹

Quaecumque dicuntur hoc ipsum quod sunt aliorum, id est quaecumque praedicantur de semetipsis per eosdem terminos determinata per genitivum casum, *vel quomodolibet aliter ad aliud*, id est quaecumque determinantur per alium casum, illa sunt relativa. Quaedam referuntur per genitivum, ut pater filii pater; quaedam per dativum, ut simile simili simile; quaedam per accusativum, ut magnum ad parvum

7. positionibus] propositionibus *ms*

8. Aristoteles, *Categoriae* 7.6a36–37 (editio composita; ed. Minio-Paluello, 58): Ad aliquid vero talia dicuntur quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud.

9. Cf. Boethius, *in Cat.* (ed. Migne, 217a): Quocirca cum unius relativi nuncupatio mox secum etiam aliud trahat ad aliquid, unum esse per se non potest, atque ideo non dixit Aristoteles “ad aliquid vero tale dicitur,” sed plurale numero “taliam dicuntur” inquit, demonstrans relativorum intelligentiam non in simplicitate sed in pluralitate consistere.

magnum; quaedam per ablativum, ut maius minore maius. Dicit alterius, id est referri ad aliud vel praedicari de semetipso determinato per genitivum casum.

6b11. Dicunt quidam quod tantum sermones sumuntur denominative et non res.¹⁰ Dicit magister A. quod sermones et res sumuntur denominative, quia dicit Aristoteles “sedere, iacere non sunt positiones, sed denominative sumuntur a positionibus.”¹¹ Aut loquitur Aristoteles de his verbis, scilicet “sedere” et “iacere,” aut de significatis eorum; sed de his verbis non potest dici quod sumuntur denominative, quia “iacere” non sumitur denominative cum nullum nomen sit a quo sumatur; ergo loquitur Aristoteles de significatis istorum verborum. Opponitur: Quod significatur ab hoc verbo “iacere” sumitur denominative; ergo habet nomen quod convenit cum nomine illius proprietatis in principio et in medio et in fine discrepat. Solutio: Quod significatur ab hoc verbo “iacere” habet nomen quod convenit cum nomine proprietatis in principio et in medio et in fine discrepat non apud nos sed apud Graecos.¹²

8a17. *Aliquis homo non dicitur alicuius aliquis homo.*¹³ Opponitur: Iste servus dicitur alicuius servus; sed iste servus est homo; ergo aliquis homo dicitur alicuius homo. Similiter iste bos dicitur alicuius possessio; ergo aliquis bos dicitur alicuius bos.

10. Cf. Anonymus Berolinensis, in *Cat.* (ms Berlin Deutsche Staatsbibliothek lat. fol. 624, f. 81va): Quidam dicunt quod individua non sunt denominativa neque universalia sed tantum nomina. Contra {circa *ut v. ms*} quos Boethius dicit quod Cato denominatur a grammatica. Similiter de universalibus probatur: Dicit Aristoteles “iacere et stare non sunt positiones sed denominative dicuntur a positionibus.” Sed de hoc verbo | f. 81vb | “iacere” non potest dici quod sumatur denominative, quia non est aliquod nomen a quo sumatur; quia “iacitio” non invenitur. Ad hoc ut denominatio fiat oportet quod res existens in subiecto habeat nomen et illi subiecto conveniat aliquod nomen ex illa proprietate et illud nomen conveniat cum nomine illius proprietatis in principio et in medio, solo fine discrepet; si aliquid istorum defuerit, non erit denominatio.

11. Aristoteles, *Categoriae* 7.6b12–14 (editio composita; ed. Minio-Paluello, 59): “[I]acere autem vel stare vel sedere ipsae quidem non sunt positiones, denominative vero ab his quae dicta sunt positiones nominantur.”

12. Cf. Petrus Abaelardus, *Logica ingredientibus* (ed. Geyer, 203): Et notandum, cum iacere ab accubitu denominative non dicatur apud nos, apud Graecos fortasse denominatio erat in illis <quae> pro istis accipiuntur.

13. Aristoteles, *Categoriae* 7.8a13–18 (editio composita; ed. Minio-Paluello, 62): Habet autem quaestionem utrum nulla substantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur, an hoc contingat secundum quosdam secundis substantiis. Nam in primis substantiis verum est; nam neque totae neque partes ad aliquid dicuntur; nam aliquis homo non dicitur alicuius aliquis homo, neque aliquis bos alicuius aliquis bos.

Solutio: Non sequitur, si iste dicitur alicuius secundum quod servus, quod dicatur alicuius secundum quod homo. Similiter, non sequitur, si iste est alicuius secundum quod possessio, quod dicatur alicuius secundum quod bos.

8a35. Si quis scit unum relativorum definite, et alterum.¹⁴ Opponitur: Nullus potest habere notitiam unius relativi per definitionem sine notitia alterius, quia unum ponitur in definitione alterius; ergo si quis ignorat unum, et alterum, et si quis scit unum, et alterum. Solutio: Quamvis | f. 86ra | nullus possit habere notitiam unius relativi secundum naturam sine notitia alterius, quia natura si aliquis vult definire unum relativum oportet eum scire definitionem alterius, tamen secundum actum quandoque magis habetur notitia unius relativi, verbi gratia forte aliquis magis habet notitiam de patre quam de filio.

14. Aristoteles, *Categoriae* 7.8a35–37 (editio composita; ed. Minio-Paluello, 62): Ex his ergo manifestum est quod si quis aliquid eorum quae sunt ad aliquid definite sciet, et illud ad quod dicitur definite sciturus est.